



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Valdedictio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

robur animæ meæ? Jam, cum caput sustentare non valeas, sed ad me inclinatum habeas, aperi pios oculos tuos, priusquam deficiat visus: aspice me cum misericordia: penetra luce illorum cor meum, & cape amore hanc animam. Si tuus amor in ea non manserit vivus, quomodo sine te vivam?

III. O mi Pater amantissime! ô sponse animæ meæ! ô sodalis ærumnarum mearum! ô amice fidelissime si vivam sine te, maneo sine patre, sine amico, sine domino, sine omni bono. Bene potes, quando ita vis, mori, ô Salvator animæ meæ! ut me tamen non deseras; quia moreris pro mea salute. Mi Domine, ac tota spes mea! quandoquidem moreris amore mei, & hic tibi infert lethalem agonem, negare mihi non potes, quod in hac ultima hora à te petam. Fecisti jam testamentum, tradis animam Patri, Corpus relinquis sepulturæ, opes tuas auferis tecum: & mihi, Pater ac Domine, quid relinquis? Relinque mihi saltem crucem: sit illa pars mea & pignus misericordiæ tuæ. Ignosce mihi, Deus meus, peccata mea in hac hora: & cum in vita pro peccatoribus tantum feceris, & oraveris, moriens mihi veniam negare non potes. Hic Domine, confiteor; & communico tecum omnia mala mea. Peccavi in te, Pater amantissime! tanquam degener Filius: peccavi contra te, ô vere amice! velut ingratus: recipe me in hac hora, quâ recedis à me, ut semper posthac vivas in me. Relinque mihi, ô amor meus! pro hereditate hanc crucem, & fontem lacrimarum, ut iis irrigetur pauper hæc anima in hoc sterili & arido exilio; & fontem aquæ vivæ tui amoris, quo rigas cælestem Jerusalem, quò nunc vadis.

*Cruce Christi
si sit hereditas
nostra*

NB. *Sub expiratione Domini homo se prosternat humi, & animo complexus crucem, dicat, quod sentiet, vel si defuerint verba, arte stringat IESUM tacitus: ipse enim intelligit interiora nostra. Quia hic locus est aptissimus ad alligandam animam Domino, de quo nec lingua, neque calamus potest satis dicere.*

VALE DICTIO.

IV. Proficiscere sanè feliciter, bone JESU, quando sic ipse vis. Proficiscere spes meæ, & requiesce à laboribus tuis: impone finem exilio tuo. Proficiscere, da bono latroni, quod ei promisisti.

Cccc 3

Susci-

Anima bo-
ni latronis
promissa
peccatorū.

Suscipe animam ejus pro primitiis & arrha omnium peccatorum, & hujus etiam animæ meæ, quam relinquis in hoc exilio & vita mortali. Descende, Consolator supreme, ad inferos, dirue portas Inferni, illumina tenebras ejus, monstra te sanctis Patribus, qui ad te suspirant; fac finem longæ expectationi, & beatos fac tuo aspectu. Vade, Domine, ad Patrem tuum, qui te vocat, vince tua morte mortem nostram: fac, ut ea posthac sit suavis, quia debet esse finis desideriorum tuorum & viâ, quâ veniamus ad conspectum tuum, ut semper tecum simus. Vade, gloria mea: aperi viam hactenus occultam & inaccessam, nec differas redire, sicut promisisti. Contrahe terminos trium longissimorum dierum, & noctium: nihil id oberit veritati tuorum verborum: interim relinque mihi tuam fidem, spem, & charitatem. Aspice, Domine, dolorem animæ meæ, quem capio ex tuo discessu, & spem ac desiderium, quo teneor, videndi te redivivum, gloriosum, immortalem, formosum, suavem, amorosum, perpetuum, & unicum socium spiritus mei. Redi, ô vera Vita! redi citò ad vitam, ut anima mea vivat tecum, sicut desiderat, te possidendo & à te possessa, ac transformata tui amore. O unicum, ô verum, ô supremum bonum, ô dulcis JESU animæ meæ!

DE VERBIS, IN MANVS TVAS, &c.

V. Pater æterne, Deus totius consolationis, & tu Spiritus Divine & unice Consolator, Deus meus ac Dominus meus! recognosce hæc ultima verba Domini divini Agnelli, Redemptoris mei. Pro me illa protulit, & pro salute mea: mihi illa reliquit in ultima hora vitæ suæ, ne unquam excidant animo meo, & ut tu me suscipias. Agnosce vocem divini Agnelli, qui tollit peccata mundi: quia hæc ultima verba consonant primis, quæ dixit in pueritiâ: *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Fecit hoc semper, & obediens fuit usque ad mortem: & ut semper ob oculos habuit Patrem æternum, sic ei se commendat nunc moriens. Tota hæc obedientia, Deus meus, sunt meæ divitiæ: verba ejus mihi pro thesauro sunt, & in his reliquit mihi unicum, & singulare remedium pro omnibus meis necessitatibus; hoc est, manus tuas plenas misericordiâ, infinito amore, ac bonitate.

Luc. c. 2.
v. 49.